

Conversio Magni Avgvstini, Postea Hypponensis Antistitis Maximi

Werner, Ignaz

Lincii, M DC XCII.

§. III. Dolor III. Proponit Christum pro peccatoribus inter flagella.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70025](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70025)

Conscia Bethlemij testor præscia tecti,
 Et testor lecto stramina strata meo.
Nexibus inserui, quo liber viveret orbis,
 Hospes Idumæus brachia parva puer.
Non etenim invito rapiunt me vincula nodo
 Laturo leve fit, quod bene fertur onus.
Non est hic primus, qui stringit brachia nexus:
 Sunt mea compedibus brachia nata tuis.
Qui prior ausus erat geniti constringere palmas.
 Sub gelido Bethles fornice, strinxit amor.
Ah nisi strinxissent puerilia fascia membra;
 Non foret excusso libera terra jugo,
Vivet inextincto libertas reddita Phœbo,
Cùm tulerit nexus dextera nostra tuos.

§. III.

DOLOR III.

Proponit Christum pro peccatoribus
inter flagella.

Non decuêre tamē rigidì tua brachia nexus:
 Debueras manibus stringere corda tuis;
Aurea debueras jaculari tela Cupido:
 O quot delicias melleus arcus habet!
Sed jubet immoti fortuna potentior astri,
 Obsquiosa manus pondera texta ferat.

Nec

Nec non morte lues alienæ crimina culpæ,
 Atque unum toto corpore vulnus eris.
 Hic benè discemus; quot sunt in amore dolores,
 Dum tanto sœvit vulnera vulnus amor.
 En immane scelus! nuduni, totisq; trementem
 Artibus adstringunt, injiciuntque flagra.
 Sanguine tincta nihil species! nil saucia flagris
 Corpora purpureo sanguine plena movent.
 Nil potuit toties, & per tot vulnera manans
 Sanguis eis aliquâ parte levare sitim:
 Castaq; membra tremens adstat nudat⁹ amictu;
 Plusq; pudor membra, ac flagra dolore ferit.
 Ah satis è pœnæ! furor impie quando remittes!
 Amplior annè potest tot gradus esse malis!
 Sed furor! ô rabies! geminantur in ictibus ictus;
 Sanguine te pascit, supplicijsque furor.
 Membra cadunt, laceriq; artus corpusq; fatiscit,
 Deficiunt nervi, deficiuntque pedes.
 Sancta Dei facies madet undiq; sanguine plena,
 Candida nil nivei forma decoris habet.
 Nec membris species: unū sunt omnia vulnus.
 Saucia stant sœvis ossa reiecta flagris.
 Heu! qualem aspicio! mutati gratia vultus
 Formosum, & niveæ frontis abivit ebur.
 Heu qualem aspicio! vix te jam noscere possem,
 Nec fuerit fronti cognita forma tuæ!

Hoc

Hoc primæ meruere manus, has primus in ira
Elicuit cædis nescia tela parens.

Quæ primus meruit, luit ipsâ morte secundus
Innocuasq; premet postuma pœna manus

Christus ad Peccatorem.

Non equidē merui, nec mens rea criminis urget
Hæres supplicij, quod tulit alter, ero.

Promptus in extremum, feralia vulnera, lethum
Promptus in immeritæ funera mortis eo.

§. IV.

DOLOR IV.

Proponit Christum spineo ferto corona-
tum pro Peccatoribus.

AH paradisiacæ malè amata superbia frondis
Dum placuit, rapuit proditor anguis apes,
Ah ferae nemus ! feralia lustra voluptæ !

Quàm male ferales explicuere comas !
Nulla utinam vestris sub ramis flora stetisset;
Nullaque divitias concinuisset avis.
Pulchro verè quidē viruit pulcherrimus hortus
Millenasque tulit verna volupta rosas.
Et stetit autumno formosus divite ramus
Crispavit teneras Æolus ore comas,